



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Meditatio II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

creavit cœlum & terram, hic in terra, spectante cœlo, pro homine flagellatur, & adhuc ab homine non amatur. O Jesu! veneretur meum silentium, tuum supplicium. Non possum eloqui, quod tu voluisti perpeti. O Pater æterne! moritur Filius tuus inter manus peccatorum. Sed noli irasci: quia *expedit nobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* O Pater æterne! miserere meî pereuntis, propter Filium pereuntem. O Fili! *Pater misericordiarum*, miserere meî toties rei, & propter flagella tua, dimitte peccata mea. O Justitia! miserere, quia venit tempus miserendi. Clamant è limbo captivi patres, è cœlo Angeli pacis amarè flentes, è terra homines pereuntes: Miserere.

Ier. 11. 9.

2. Cor. 10.

MEDITATIO II.

§. I.

¶ *Nudatur Christus.*

HAstenus in minoribus prælusimus: jam ventum est ad Triarios, jam velut signo dato totis concurrunt viribus hinc Christi amor, inde hominis furor. Jam inter misericordiam & Justitiam, velut decretoriâ pugnâ decernetur de summa rei, quando in medio terræ, *Dei & hominum mediator* stabit ad columnam vestibus nudus, funibus vinctus, flagellis cæsus.

1 Tim. 2. 5

Pilatus importunâ Judaicę feritatis rabie coactus, populi Christum ad crucem poscentis vociferationibus victus, metu civilis tumultûs compulsus maluit summo cum flagitio violare Justitiam, quàm tanto cum periculo propugnare Innocentiam. Fateor, fecerat Pilatus, ut Christum liberaret, quid quid ferè potuit non tamen quid quid debuit, benignus in Christum, & simul offi-

P 5

ciosus

ciosus in hostes Christi. Sed tandem cessit iniquitati *Æquitas*, & ne displiceret pessimis, placuit plectere innocentem. Vocabat ergo Pilatus *Jesus* intra prætorium, his, aut id genus verbis affatus: Ecce in confesso tibi est, quanto gens tua ardeat odio tuî; Nemo est, qui non sitit tuum sanguinem, qui non deposcit te ad mortem, qui non exoptet tibi crucem. Quid agam? Non possum unus resistere omnibus. Hæc fax odii & invidiæ non extinguetur nisi sanguine tuo. Quare ad flagella te præpares necesse est, patienter que feras, ac boni consulas: quod quidem ego non tantum invitus, sed coactus facio. Est regula ab omnibus usurpata, ut ex duobus malis imminentibus id quod minus est, eligamus, ut majus evitetur. Leve est flagellari, dum quod gravissimum est, redimitur, mori. Ero in te severus, ut sim benignus; non parcendo, parcam; flagellis excipiam, ne mortem inferam; punieris, ne moriaris. O Pilate! convinceris à dæmone hoc argumento. Pessimè philosopharis. E duobus malis eligendum est minus. Assentior. Sed minusne est malum flagellari Deum, quàm offendi Judæum? Ignorabam esse Deum. Sciebas Justum. Fuerat gravissimorum criminum accusatus. An etiam convictus? Jam illum in concilio condemnaverant Principes Sacerdotum. Hoc est, primi nebulonum. Timebam tumultum populi. Tuum erat vel compescere, vel contemnere. Vitæ metuebam. Pro defensione Innocentiæ vitam perdere, est salutem conservare. Non perieras, si sic periisses. Sed quid ego pro causa altercor cum Pilato, cum Christus pro causa mea flagellari non metuat, sed ambiat? Cum ergo Pilatus non posset liberare Christum, nec per attestationem
ejus

ejus innocentia, nec per delegationem causæ ad Herodem, nec per consuetudinem liberandi unum vincitum in Paschate, nec per alia, quæ excogitaverat, præsidia: *Tunc apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.* Matt. 20.

Debent, ô Christe, impleri tua verba, ne videaris falsus Propheta. Dixisti: *Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum.* Præcessit illusio, sequetur flagellatio; impleantur Scripturæ. Trahitur in Prætorium, sequitur trahentes qui brevi omnia ad se trahet mitissimus Agnus: exponitur omnium oculis, quos ipse diligebat ut pupillam oculi sui, Solvunt carnifices vincula, & extrahunt vestimenta, Cùm jam omnium oculis nudus pariteret, tum demum *benignitas & humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei.* Ad Tit. 3. 5 Ubi es nunc miser Adam? Quid trepidus fugis ad folia ficûs, ut tegas nuditatem carnis? Tu pavidus latitas inter arbuta, dicens: *Vocem tuam audivi in paradiso, & timui, eò quòd nudus essem.* Gen. 3. 10 Noli timere, progredere ex hortu paradisi ad prætorium Pilati: non est quòd timeas, quia nudus es. Habes jam nuditatis socium, ipsum Dei Filium. Si memineris, audivisti ex ore Dei in paradiso: *Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est.* Gen. 3. 22. Jam tu illi impropera: *Ecce Deus quasi unus ex nobis factus est.* Ego homo, & Deus homo; ego nudus, & Deus nudus. Et nos filii Adæ nudi egredimur ex utero matris, sed tamen nudi non admittemur in regnû Patris. Illic enim nudo dicitur illud Evangelicum: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Et tunc dicet Judex Matt. 22. 12. tortoribus: *Ligatis manibus & pedibus, ejus projicite eum in tenebras exteriores.* Qui ergo nudi nascimur, providendû est ne nudi moriamur. Omnes enim Prov. 31. 21. *domestici Dei vestiti sunt duplicibus: vestimento gratia,*

- Apoc. 7.** *amicti sunt stolis albis, nullus illic admittitur nudus.*
31. Sed ego qui stolam meam primam amisi in paradiso, ubi illam recuperabo? Illic, ubi filius prodigus: Abiisti miser à Patre, profectus es in regionem longinquam, & ibi ut peregrinus ille Jerichontinus incidisti in latrones; qui etiam despoliaverunt te: ita ut de te dici possit illud Apocalypticum: *Tu miser es, & miserabilis, & pauper, & cecus, & nudus.* Quid consilii? Audi quid dicat tibi nudo Jesus nudus: idem quod sequitur in Apocalypsi: **Ibid. v. 18.** *Suadeo tibi à me emere aurum ignitum, probatum, ut locuples fias; & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ.* Imitare nudum prodigum; Surge, & redi ad Patrem; expone illi peccata, denuda conscientiam; die singultienti voce, corde contrito & humiliato: *Pater, peccavi in caelum, & coram te.* Illico clamabat Misericordia: *Citò proferte stolam primam, & induite eum.* Ideo denudatur in prætorio Pilati vestibibus Rex gloriæ, ut nuda anima induatur stolâ gloriæ. O Jesu, nos nudi ad te nudum confugimus. Quid aliud hîc coram te dicemus, nisi illud Apostoli: **1. Cor. 4.** *Ecce esurimus, & sitimus, & nudi sumus?* Esurientibus nobis prospexisti, cum dedisti nobis corpus in cibum, dicens: *Accipite, & comedite.* Sitientibus reliquisti calicem sanguinis, dicens: *Bibite ex hoc omnes.* Itaque non amplius esuriemus, sed tamen illud adhuc superest: *Nudi sumus.* O quàm dura est animæ nuditas, ubi in animo refrigit **Deut. 32.** *charitas!* Sumus hîc in loco horroris, & vaste solitudinis, ubi frigidus ventus Aquilo flat, & ecce nudi sumus. Tu jussisti per Prophetam tuum: **Eccl. 43.** *Cum videris nudum, operis eum.* Vides me nudum, operime, **Isa. 58. 7.** *Jacent ecce vestimenta tua in terra: his me induc,*

due, & scio, propter illa Pater tuus benedicet mihi, & ero benedictus.

§. II.

Ligatur.

OMnia vincit amor. Sed homo fortiter impius ut vinceret amorem Christi, voluit vincere Christum, quasi tunc esset victus, dum victus. Christus ad columnam accedens, eandem amplexatus est, ut ostenderet se illi alligatum, non quia homo ligare potuit, sed quia ipse ligari voluit. Fuit autem manibus, & pedibus, & collo columnæ adstrictus; ne fortè fugeret, scilicet qui venerat fugientes à se quærere.

Quod postea discipulus Christi Paulus, hoc modò Magister illius discipuli Christus dicit. Is dicebat: *Quis nos separabit à charitate Christi?* Christus dicit: *Quis me separabit à charitate hominis? An tribulatio, an angustia?* sed *tribulatio & angustia invenerunt me. An fames?* Quadraginta diebus jejunavi, donec esurirem, *An nuditas?* Hic nudus consisto. *An persecutio?* Multi qui persequuntur me, & tribulant me. *An gladius?* Tanquam ad latronem exiverunt, cum gladiis & sustibus comprehendere me. Quid ergo separabit me à charitate hominis? Certus sum quòd neque vincula, neque flagella, neque alapæ, neque spinæ, neque clavi, neque crux, neque mors, neque creatura ulla poterat me separare à charitate hominis, propter quem factus sum homo. Dubitas adhuc, ô homo, de amore Jesu in te? Quod certius exigere potes argumentum amoris, quàm ejus, quem effudit pro te sudorem in molestis itineribus, lacrymas in ferventibus precibus, sanguinem in horrendis cruciatibus. Sic te amat Jesus, ut nisi omnipotentia divinæ ejus naturæ susti-

Rom. 8.

35.

Ps. 118.

143.

Ps. 118.

157.

Matt. 26.

15.

sustineret, & corroboraret naturam humanam, vinc-tus & nudus ad columnam, antequam ul-lum percepisset ictum flagelli, præ magnitudine amoris expirâsset. Non hoc sufficit ad testandum Jesu tui in te amorem? Nulli potest esse du-bium, quin Angeli omnes & Cœlites impensif-sime ament SS. Trinitatem: tamen Christus plus amat animam unam suâ amantem, quàm omnes novem Angelorum Chori, quàm omnes beatæ Mentis simul amant SS. Trinitatem. Et adhuc post tantum amorem invenietur aliquis, qui non amat JESUM? Certè debuisset hoc æstimare ma-ximum, quod umquam in terris visum, vel audi-tum fuisset prodigium; inventum fuisse unum hominem in mundo, qui non amaret JESUM. Imò debuisset ad conspectum illius hominis, tamquam ad insolens & abominabile mon-strum, obstupescere cœlum, sol subtrahi, sidera obvolvi caligine, concuti à fundamentis terra, scindi petra, hiare saxa. Tantum æstimari de-beret hoc portentum, unum inventum fuisse hominem, qui non amaret JESUM. Et tamen in-ventus est homo, & homo non unus, sed mun-dus totus in maligno positus, qui redderet illi odium pro dilectione sua. Numquid, quando hîc vides Filium Dei ad columnam vinc-tum, & nudum, dicere potes: *Ecce positus est in signū cui con-tradicatur.* Numquid omnes dicunt dignum, qui vestibis operiatur? ideo vestibis exutum denu-dant. Numquid omnes dicunt indignum illum, qui instar vilissimi mancipii, virgis, flagellis, lo-ris laceretur? ideo ad columnam eum vinciunt. Numquid hîc verè positus est in scopum, in quem omnes injuriæ, odia, calumniæ, contume-liæ, opprobria, maledicta, cædis & interitûs ma-china-

Christū
nō ama-
ri à no-
bis pro-
digiorū
maxi-
mum.

Luc. 2. 14

chinamenta collinearent? Nonne vides hîc extensa omnium hominum brachia, armatas flagellis omnium hominum manus, ut cruentent, concidant, dilanient corpus JESU? Nos quotquot hîc sumus; antequam essemus nati, Christum percussimus: neque enim, quæ Christum flagellârunt, fuerunt Judæorum brachia, sed nostra & parentum nostrorum scelera. Audite æternum Patrem loquentem de Filio percusso: *Propter scelera populi mei percussus est*. Quis est ille populus, propter quem percussus est Dei Filius? An Judaicus, an Gentilis, an Christianus? Quisquis commisit scelus, est JESU percussi reus. Qui ergo immunis est à scelere, is jactet se mundum esse à Christi sanguine. Nos ergo, qui deliquimus, iidem & percussimus. Quid dico. percussimus? Id præteritum est. Etiamnum in præsentiarum percutimus. Nec hoc satis est: adhuc sæpius percutiemus. Fortè unâ horâ antequam ad hunc locum convenistis, illum percussistis, vel lascivo oculo, vel impudicâ manu, vel pravâ cogitatione, vel malevolâ mente, vel malêdicâ linguâ. Fortè & nunc illum percutitis, dum JESUM fuisse percussum auditis sine dolore mentis, sine suspirio cordis, sine sensu animi. O cautes! ô rupes! ululat percussus canis, & doletis: vapulat Filius Dei, & ridetis! Jesus præ dolore prope expirat: nemo præ amore JESU vel suspirat. Fluit sanguis copiosus ex omnibus venis corporis: non stillat vel lachrymula ex nostris oculis. Hiant undique immania in percusso corpore vulnera, nec nos semel percutimus pectora. O JESU! quid tu ad hæc? Si tu olim antequam esses homo, antequam sudâsses pro homine, antequam vapulâsses ab homine, dixeris: *Pœnit et me fecisse hominem;*

1/4. 53. 8.

Gen. 6.

nem;

nem; quid nunc dices, dum inter omnes homines non sit homo, qui te non odit, maledicat, persequatur: expoliet vestibus, vinciat funibus, molliatur interitum? *tunc tactus dolore cordis intrinsecis, tonabas ex alto, & minabaris: Delebo omnem hominem quem creavi, à facie terra. Quæ jam metuenta sunt nobis ex ore tuo tonitrua? Quæ non expectanda fulmina? Quæ spes redemptionis post tot injurias in Redemptorem? O me miserum, cum jam non sit qui redimat, neque qui salvum faciat!* Quomodo ausim tot inter mihi timenda dicere cum Davide: *Redime me, & miserere mei?* Quid times, ne redimaris, anima mea? Sic loquitur per suum Prophetam, qui posuit pro te animam suam: *Isa. 43. 1. Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: Ps. 118. meus es tu. Si ergo sim tuus; dicam ego ad te: Tuus sum ego, salvum me fac.*

§. III.

Flagellatur.

PROPOSITURUS plenum immensi stuporis, ac infiniti amoris sacramentum, prius tanquam ad celeberrimum totius rerum universitatis theatrum, convoco cælos & terras, homines & Angelos; quin & dæmones, sævos justitiæ satellites, ut eum intueantur, qui in atrio Pilati *spectaculum factus est mundo, & Angelis, & hominibus.* O Pater! ad sis hujus tragædiæ spectator, cujus ego fui auctor. Hoc tamen obtestor, ut si videris manum peccatoris extentam super corpus I illi tui; si videas manus nostras plenas sanguine, manum tuam longè facias à nobis; quia Filius tuus, idem qui à peccatoribus cæditur, pro peccatoribus patitur. Ad sis & tu, ô Justitia! & videas usque ad novissimum quadrantem soluta nostra debita.

1. Cor. 4.
9.

Nec ergo posthac ulla potest timeri punitio, ubi pro puniendis tam copiosa est redemptio, Interim quietum silentium contineat omnia in terris, dum in medio terræ operatur salutem nostram Salvator noster. Non hîc audiantur lamenta super flumina Babylonis sedentium, & flentium; non hîc resonet lyra Davidica: *Miserere mei Deus.* Non opus est, ut *inter vestibulum* *Ps 50,* *Eccl. 2. 17* *Luc. 15.* *& altare* plorent Sacerdotes: *Parce Domine, parce populo tuo.* Non hîc audiat vox prodigi: *Peccavi in cœlum.* Pro salute omnium sufficit vox una; vox sanguinis fratris nostri. Sed ut audiat hęc vox sanguinis, aperiantur flagris omnia membra corporis. Tantum, quantum non potest intelligi, necdum exponi, Dei in humano corpore flagellati mysterium, accipite per compendium. Ita illud perstringit D. Hieronymus: *Sex carnifices accedunt: duo eorum virgis spineis; duo loris nodosis: duo catenis ferreis; incipiuntque primi totis viribus eum percutere; adduntur vulnera vulneribus, decurrit sanguis. Primis defessis succedunt secundi, & novis vulneribus vetera cumulant; quos mox tertii subsequuntur, qui uncinis carnem ac pellem avellant.* O cœlum! ô terra! ô Superi! ô inferi! ô quidquid usquam sentit, aut sensus expers est! ô si quid est quod præterea appellare possum! Numquid hîc meritò dixerim cum Jeremia: *Quis au-* *Jer. 18. 13* *Ioan. 1.* *divit talia horribilia, quæ fecit nimis generatio filiorum hominum? Verbum caro factum est, ut salva fieret omnis caro: sed homo pati non potest, Deum esse hominem.* Itaque homines tanquam in rabidas feras conversi, prius ipsi humanitatem omnem exuerunt; tum Jesu Humanitatem per atrocissimas pœnas funditus delere satagunt; quasi ferre non possent, ut Jesus esset Deus. &

Relatus
à Glossa
ordina-
ria.

Q

mane.

maneret homo. Toto ergo furoris impetu in Verbi Incarnationem incumbunt, ut Humanitas tot cruciatuum impatiens occumbat. Flagris, loris, verberibus ingeminatis velut super incudem ictibus cutem à carne, carnem ab ossibus validè & atrociter avellunt: quin & humani corporis compagem, & speciem, quantum illis licuit, destruxerunt. Nihil, ut in illis relictum vellent, non sanguinem in venis, non integritatem in nervis, non robur in membris, non nexum in artubus, non carnem in ossibus, non agilitatem in manibus, non firmitatem in pedibus, non pilos in capite, non formam in facie, non spiritum in corpore, imò ne speciem quidem hominis in homine; ita ut numquam verius, quam nunc, possit usurpare illa sua apud Davidem verba:

- Pf. 21. 7.* *Ego autem sum vermis, & non homo. Numquid*
1. Reg 26. *vox hac tua, Pater mi? vox mea est, fili mi. Vermis,*
27. *& non homo. Fui quondam speciosus formâ præstiliis hominum: at nunc per te, vermis sum, & non homo. Tu quidem, ô homo, indueris purpurâ, & bysso, & epularis quotidie splendide, ducis in bonis dies tuos: at ego propter te vermis sum, & non homo. Et tu, mi amantissime JESU, in hoc rerum statu, vel potius casu; in his tuis injuriis, doloribus, cruciatibus inter flagella & vulnera, in laceris membris, in convulsis artubus, in aper-tis venis, in fracto ac cruento corpore, quid agis? quæ tibi mens? quod consilium? quæ inter tot afflictiones, sunt tibi cogitationes?*
Jer. 29. 11 *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Cogito, non quomodo te in terris flagellem, sed in coelis coronem. Cogito, non de sumenda vindicta, sed remittenda culpa. Cogito, quid adhuc possim facere vineæ meæ, & non feci. O*

JESU.

JESU, verè nunc sponse sanguinis, clamamus omnes ad te, eâdem, qua Judæi, voce; sed non eâdem mente: Sanguis tuus super nos, & super animas nostras. Sanguis tuus, quem in Prætorio Pilati expressit non tam hostium furor, quàm tuus in hostes amor, super nos: Sanguis tuus à Spiritu sancto formatus, ut sanctissimus sit super nos: Sanguis tuus à castissimis Virginis visceribus hauſtus, ut castissimus, sit super nos: Sanguis tuus, ut remittantur peccata nostra, sit super nos: quia *sine sanguinis effusione non fit remissio*: Sanguis tuus ex sacrosancto corpore effusus, ne simus rei corporis & sanguinis tui, super nos. Denique sanguis tuus ex sacratissimis tuis membris, pro tuis membris (sumus enim membra unius corporis) super nos, & animas nostras: ut postquam dealbaverimus stolas nostras in sanguine tuo, possimus à te redempti, cum omnibus tuis Electis, modulari illud sacrum carmen: *Redemisti nos Deo, in sanguine tuo.*

Heb. 9. 22

Apoc. 5.
II.

III. MEDITATIO.

De eodem Mystério.

MYSTERIUM grande, quod omnem excedit fidem, præter illam, quæ est supra naturæ vires, & à Deo infusa, est Dei ab hominibus pro hominibus flagellati cruentum sacramentum. Quod sic est plenum, nescio quo horrore, ut scelus sit illud audire, nec eo audito ad scelera detestanda permoveri. Idcirco quisquis hîc adstas, eorum quæ referuntur, auditor, præmoneo. & admoneo, ut componas & disponas animum ad

Q 2

detc-